



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

I. De Synodo bis per singulos annos, aut semel conuocanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

sto auspice, in Turonica ciuitate Concilio concordante, iuxta conuiuentiam gloriosissimi domini Chariberti regis annuentis, coadunati pro pace & instructione ecclesie, opportunum credidimus subterannexa decreta conficere, & subscriptionibus propriis roborare, vt retundantur noxia, propagentur optata: ne taciturnitate silentii vitioforum criminum nutriri videretur licentia, non abscindi; & quæ opportuna erant pro qualitate temporis adiici, non putarentur negligi, sed procurentur impleri.

C A N O N E S.

I.

Placuit itaque sancto Concilio, interposita virtute domini Martini, in sancta basilica sua conscribi, vt bis ad Synodum annis singulis metropolitanus & comprouinciales sui, in locum quem deliberatio metropolitani elegerit, Deo propitiante, conueniant; aut si necessitas, sicut hactenus, ineuitabilis præpedierit, vel semel in anno, sine cuiuslibet excusatione personæ, id est regie vel priuatæ, sine cuiuscumque vtilitatis obstaculo, præter infirmitatis certissimæ labore præuentum, nullius occasione velaminis, habeat vnusquisque concursus: sed sicut dictum est, neque per impedimentum ordinationis regie, neque sub occasione vtilitatis, aut causæ propriæ, debeat a Concilio separari, Apostolo prædicante: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* & reliqua. Non debet spiritali operi etiam regalis præferri præceptio, cum primum in ecclesia sit mandatum: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Vnde non debet præce-

Rom. 8.

Deut. 6.

ANNO
CHRISTI
567.

præcepto Domini persona cuiuslibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit. Si quis episcoporum, vt superius dictum est, ad Synodum venire distulerit, vsque ad maiorem Synodum a metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus: nec ei ex alia prouincia vllus episcopus interea communicare præsumat. Ipse enim suæ diuisionis præparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris ecclesiæ non concordat.

II.

Item decernitur propter illud cæleste mandatum, *Pacem meam do vobis*, vt pontificalis affectus ^{Ioan. 14.} inter confacerdotes inuiolabiliter conseruetur. Verum si pro peccatis, vt assolet, ex causa liuor emerferit, vt pendente certamine sibi inuicem reconciliari non possint, electis ab vtraque parte fratribus, id est presbyteris, præponderante dulcedine litis iacula finiant, & vota pacis acquirant. Nam qua fronte festucam de alterius oculo velit eruere, qui in suo trabem non respicit imminentem? aut quid in aliis arguat, a quo magis vitii fons inundat? Si quis autem ab vtraque parte, vt dictum est, electis presbyteris atque mediantibus fratribus, hoc est, suis membris, reconciliari neglexerit, cum ad Synodum venerit, non solum reatum coram coepiscopis se cognoscat incurrere, verum etiam congruæ poenitentia intelligat vindictam subire. Opportunum namque est illum animaduersione succumbere, qui intelligendo peccauit, & quod docere debuit, in seipso neglexit.

Concil. Tom. 12.

F fff